



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 6. Propositiones ab Elisabetha ad Mariam transmissæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A.C. 1570

„priæ meæ salutis incuria aliorum se-
„curitatem procurare studerem: de ce-
„tero nec Galliarum Rex, nec alius
„quicumque Princeps ægre ferat, quod
„in omnibus meis consiliis, præprimis
„propriæ meæ conservationi, ac uni-
„versi Anglici Regni commodis consi-
„lere satagam.,,

§. VI.

*Propositiones ab Elisabetha ad Ma-
riam transmissæ.*

Cambden &
Thuan. l. l.

Postmodum Elisabetha studiose divul-
gabat, quod lubenti animo Mariæ
regnum reddere vellet, dummodo illi
absque ullo Angliæ damno fieri posset,
ut autem se id sincere optare vulgo per-
suadere valeret, hinc Cecilium ad hanc
Reginam ablegabat, ut eidem sequen-
tes proponeret articulos. I. Maria Edin-
nense pactum decem abhinc annis sanc-
citum ratum habeat, ac quamdiu Eli-
sabetha, ejusque proles legitimæ vita-
runt superstites, juri suo in Angliæ Re-
gnum cedat. II. Nullum foedus cum
quocunque demum Principe contra An-
gliam ineat, vel innovet. III. Nec ul-
lum externum militem in Scotiam ad-
vocet. IV. Cum Anglis, ac Hibernis
absque Angliæ Regiæ consensu nulla
consilia, ac commercia habeat. V. In-
tegra fide Anglos, & Hibernos fugiti-
vos

vos tradat, quoties eos Elifabetha re-
 petierit. VI. Anglis damna per nup-
 eras incursiones in Regni finibus illata
 compenset. VII. Juxta legum præscri-
 pta in Henrici Darlæi, & Muravii Co-
 mitis Parricidas accurate inquire ju-
 beat. VIII. Filium suum tanquam ob-
 fidem in Angliam mittat. IX. Inscia
 Angliæ Regina nulli ex Anglis, vel abs-
 que Scotorum Ordinum consensu cui-
 cunque alteri nubat. X. Scotis inhi-
 beat, ne invita Elifabetha in Hiber-
 niam transmigrant. XI. Sex obsides
 ad Elifabethæ arbitrium seligendos tra-
 dat. XII. Si quicquam contra Angliæ
 Reginam pactis adversum moliretur,
 prætenso jure suo in Angliæ regnum de-
 cidat. XIII. Ambæ arces Huma, &
 Fasta per integros adhuc tres annos
 Anglorum potestati relinquuntur. XIV.
 Quædam propugnacula in Gallovidia,
 seu Cantiræ finibus sita Anglis tradan-
 tur, ut Scoti hac ratione præpedian-
 tur, ne Hiberniam invadant. XV. De-
 nique omnes hi articuli in generalibus
 Ordinum comitiis approbentur, ac con-
 firmantur.

§. VII.

*Scotiæ Reginae responsum ad Eli-
 sabetham.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.